

XV.

Παραφραδινῶς hic duo notanda sunt. 1. quod Conradus Vorstius in Notis ad disp. 2. de Deo p. 168. vocem Jehovah etiam creaturis tribuit, ut Angelis, arcæ, altari &c. ita tamen ut propriè Dei nomen sit, impropriè vero seu per tropum quoddam de alijs rebus usurpetur. Aliud enim esse, ait, nomen aliquod alicujus rei aut personæ proprium esse; aliud autem id ipsum nomen propriè semper & citra tropum usurpari, quemadmodum mentem suam explicat in Exegeſi Apologetica cap. 2. p. 7.

XVI.

Sed principium petit Vorstius. Prius enim probandum erat, an ullo in scripturæ loco vocabulum Jehovah creaturis tribuatur, deinde disputet, an hoc propriè vel impropriè fiat. Nos prius illud simpliciter negamus, & loca in contrarium adducta conflictui committimus.

XVII.

Deinde notanda est extrema Jesuitæ Bellarmini impudentia, qua per insigne mendacium D. Lutherum accusare non veretur, quod is veteribus hæreticis Arianis cum primis plurimum faverit scribens in confutatione Responsionis Latino-mianæ; Anima mea odit hoc verbum ὁμοσίῳ.

XVIII.

Hæc autem sunt Lutheri verba Tom. 2. Lat. Jhen. fol. 430. b. edit. am. 57. Quod si odit anima mea vocem ὁμοσίῳ & nolim ea uti, non ero hæreticus. Quis enim me coget uti? modo rem teneam, quæ in concilio per scripturam est definita.

XIX.

Primum ergo quod Lutherus dixit ὑποθετικῶς, id Jesuita malitiose ponit κατηγορικῶς. Deinde quod de vocabuli hujus usu libero intellexit Lutherus, id ad ipsam rem quam vocabulum definit, per calumniam transfert Jesuita. Tertiò quod secundum quid, eo nimirum sensu, quod exemplo vocabuli ὁμοσίῳ non liceat scripturam in alias voces Sophistarum more transmutare, dixerat Lutherus, id simpliciter sumit Jesuita. Aliàs quam honorificè Lutherus hac de voce loquatur, videatur liber ejus de Concilijs & Ecclesia tom. 7. Jen. germ